42600

2.

DISSERTATIO

MEDICA INAUGURALIS

DE ASCITE,

QUAM ANNUENTE DEO OPTIMO MAXIMO,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI-LUDOVICI KESTELOOT,

Med. Chir. et Art. Obst. Doct. et in Facult. Med. Prof. ord.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATÛS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS-LUDOVICUS VAN DER ESPT,

CORTRACENSIS,

Die 5 Augusti MDCCCXXVI, horâ XIâ, in Aula Academica.

GANDAVI, apud MAX. ANT. MAHNE, Bibliopolam.

1826.

OPTIMO PATRI MEO,

PETRO-HUBERTO VAN DER ESPT,

MEDICINÆ DOCTORI,

SACRUM.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops;
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.

Horatius.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE ASCITE.

I.

Historia Morbi et Diagnosis.

Auctores per ascitem intelligunt insignem collectionem lymphaticam intra peritonæi cavum.

Ascites in initio sæpe difficulter dignoscitur, atque cum aliis speciebus hydropis vel et viscerum morbis abdominalium facile confunditur, ut sunt hydrops saccatus, ova-

riorum, visconia, tympanitis, etc. Hanc ob causam diagnosis omnium certissima plerumque ex causis vel et morbis prægressis.

Symptomata hujus diuturni morbi sunt, laxitas atque debilitas corporis, sensus expansionis in partibus affectis, abdominis ejusmodi intumescentia, ut æger si decumbit, anxius evadat, dum tumor in ægro decumbente, præsertim sursum, pedibus insistente, deorsum percipitur; facies est pallida, urinæ secretio minuitur, lotium plerumque saturatioris coloris et aliquando turbidum est; vexantur ægri siti inextinguibili; pulsus est inæqualis, depressus, parvus, contractus, accedit anorexia, vel et ventriculus alimenta ferre non potest, sed omnibus, quæ ingeruntur anxietas augeretur et sæpe post moram longiorem vel breviorem evomuntur omnia, quæ in ventriculo continentur; alvus pertinaciter est clausa vel admodum liquida, fœtidissima, respiratio difficilis, præcipue ægro dorso incumbente, accedit tussicula sicca; variis doloribus cruciantur ægri in pectore, episgastricâ regione, etc. Variæ hæmorrhagiæ vel potius cruoris stillicidia humorum discrasiam, atque solidorum laxitatem adhuc magis accusant, ut epistaxis, hæmoptœs etc. Eo tempore extremitates inferiores ordinarie œdemate afficiuntur, dum et in utroque sexu genitalia intumescunt, fluctuatio in abdomine percipitur, atque partes supra diaphragma positæ emaciantur, ulcera, humorem lymphaticum

sat magnâ copiâ stillantia, sæpe cum parvo solamine, ad crura vel pedes sese manifestant, quæ tamen aliquando gangrænosa facta miserias adhuc augent; aliquando signa hydropis pectoris, hydrocephali vel hydropis generalis progressum morbi haud amplius sistendi denunciant; accedunt diarrheæ symptomaticæ cum tenesmis, sudores viscidi, convulsiones; somnus perturbatus nunc mutatur in soporem, qui in lethargum imo in apoplexiam transeuntem, tristem scænam morte claudit. Ab hydrope saccato distinguitur tumore magis æquali neque cum hoc œdema pedum, vel signa læsionum viscerum vel glandularum adsunt, nisi talia, quæ ex compressione oriuntur.

Ab hydrope ovariorum dignoscitur, tumoris loco, plerumque hac in specie, dumtaxat si alterutrum affectum fuerit, abdomen modo altero latere, vel oblique intumescit et dolor præsertim regionem iliacam occupat, atque functio genitalis inprimis menstruatio lædi solet.

A tympanitide absentia fluctuationis sensûs et sonitu percussi ventris, ab incremento morbi citissimo, a nullo ponderis corporis augmento, increscente volumine.

A visconia vel induratione et voluminis augmento alicujus visceris, glandularum vel scrophulis, mollitie ventris, fluctuationis sensu, doloribus sive obtusis acutis prægressis.

Ab Ascite purulenta distinguitur, quoniam hæc ab inflam-

matione in suppurationem atque abscessum terminata, qui abscessus tandem rumpitur, derivandaest.

A graviditate primo intuitu sæpe difficulter dignoscitur, præsertim si eam celare cupiunt mulieres; verum cum graviditas status sit physiologicus, neque necessario quibusdam symptomatibus stipari debeat, illa sanitate plerumque perfectiori quam in Ascite, atque hujus morbi causarum absentia, ut et abdomine magis duro in graviditate atque signis hujus status propriis, tractu temporis sæpe facile cognoscitur.

Causae Ascitis.

Ut omnis hydropis speciei sic et hujus morbi causa proxima consistit in sublato æquilibrio inter actiones vasorum exhalantium et absorbentium; lymphæ igitur secretio nimia vel imminuta ejus absorptio hic accusandæ sunt. Verum aucta secretio rarius huic morbo ansam dare solet, nisi ea forte in specie, quæ hydrops acuta vocatur, quæ tamen rarissime in abdominis cavo observatur.

Omnes Ascitis causæ dividi possunt in prædisponentes et occasionales. Cæterum ad hunc morbum prædispositi sunt phlegmatici, debiles atque cachectici; in phlegmaticis enim fibra laxior humoresque magis diluti, aquosi tardiusque moti,

facilius a statu normali degenerare, et tali modo organorum, et præsertim vasorum lymphaticorum functiones turbare possunt; tales turbæ jamjam in cachecticis ut præsentes supponi possunt; in his enim omnia discrasiam atque humorum dissolutionem designant, præ aliis autem tales discrasiæ in secretis humoribus obtinere solent, atque tali in casu solidorum actionem, præsertim minimorum vasorum mutatam, vix aliqua explicatione indiget.

Disponunt ad hunc morbum, producendo debilitatem vel et cachexiam, sive occasionem præbent mutando structuram, vel situm relativum partium, ita ut functiones systematis absorbentis inde impediantur, ut sunt indurationes, obstructiones, congestiones.

Inflammationes peritonæi viscerumque abdominalium facile indurationem horum organorum producunt, et fere semper Ascitem creare solent.

An aër humidus et frigidus in dispositis morbum huncce evolvit, hoc enim non solum cutanea perspiratio minuitur vel et impeditur, sed præterea fibræ laxantur et propter illas conditiones pergente absorptione quæ per cutim peragitur, humorali colluvie membranæ serosæ inundantur, et inde hydropes nascuntur.

Abusu aquosorum potuum præsertim tepidorum laxitas solidorum et colluvies serosa inducitur, quibus non solum ad

hunc morbum dispositio, sed talis laxitas vasorum lymphaticorum oriri valet, ut pro causa occasionali haberi debet.

Per abusum spirituosorum atonia generalis obvenit et tandem universum systema glandularum lymphaticarum obstruitur, et quasi serosum evadit, unde hinc hydropes, tam universales, quam particulares, oriantur oportet.

Evacuationes nimiæ et suppressæ etiam hydropis causæ esse possunt, prioribus enim natura continuo amissos humores restituere conatur; verum cum debilitatum hisce evacuationibus corpus esse solet, et loco perditorum magis aquosi restituuntur, quo in casu igitur duplici causæ morbi esse possunt : in posteriori casu nempe ubi evacuationes solitæ sunt suppressæ, hydropi ansam dare solent modo magis indirecto, nempe iis malis, quæ ex tali suppressione nascuntur; præterea hydatides, quæ aliquando volumine adeo increscunt, ut membranæ quibus formantur, ratione magnæ extensionis rumpantur, quo tunc humor in iis contentus in cavo abdominis fluit.

Sic etiam ille morbus a febre intermittente producitur, verum non semper eodem modo; aliquando debilitas, quæ ab illo morbo diutius protracto oritur, aliquando malum regimen in illa febri, aliquando perversa curandi methodus accusandæ sunt; reactio enim organorum adaucta, et inde mutata secretio non solum debilitati, sed etiam cachexiæ ansam dare solent et hydropem producunt.

Prognosis.

Quamquam Ascites sit morbus chronicus admodum pertinax et curatu difficillimus, tamen prognosis differt morbi gradu, tempore quo jam duraverit, constitutione ægrotantis atque causis quæ morbo ansam dederint, ut et variis symptomatibus nec non complicationibus.

Si morbus sit recens, corpus enchymum si solum a laxitate vasorum absorbentium sit productus, causæ si fuerint leviores non difficiles amovendæ neque adsint destructiones viscerum, atque æger non multum sitit, quamdiu urina manet naturalis, spe felicis curæ minime excedimus.

Si autem accedunt febris lenta, oris fœtor, hæmorrhagiæ, extremitatum superiorum arefactio, lethargus, purpuræ aut lividæ cutis efflorescentiæ, sitis intensa status ægri periculosus evadit.

Aquæ per paracenthesim ex abdomine effluentes, quam plurimum in prognosi valent; quo magis enim hæ lymphæ naturali sint similes eo magis affulget salutis spes. Luridæ, turbidæ, admodum fœtidæ, purulentæ aliæque degeneratæ aquæ, quæ per paracenthesin profluxerunt pessimi sunt præsagii.

Cura.

Quænam speciatim in Ascite prosint Medicamina adhibere deinceps notabimus. Verum in genere ipsi conveniunt tres generales adversus hydropem indicationes, quæ sunt, *causam tollere*, *aquas evacuare*; *reditum impedire*, ut requisitis his et primum quidem primæ indicationi satisfaciamus: videndum primo loco num morbus sit natus e causis localibus num ex universalibus, inque posteriori ipso casu num hæ causæ sint sthenicæ vel asthenicæ indolis, quod, ut elucescat ægri temperies omniaque, quæ antecesserunt accurate erunt examinanda, sthenicus si fuerit Ascitis venæ sectio in ejusmodi casibus eximios sæpe præstat effectus.

Cell. *Donaldus Monro*, in egregio suo de hydrope libello plura adfert exempla, de felici successu venæ sectionum in ejusmodi hydropibus.

Sin autem causæ et symptomata indicant, Ascitem tractandum fore asthenicum, videndum erit, num hæc asthenia sit directa vel indirecta, ut secundum leges utrique proprias medicamina administrentur.

Quod jam ad victum attinet in sthenicâ specie, requiritur tenuis et debilitans, in asthenicâ vero nutriens magis atque

aromaticus, dum utrique conveniunt dauci, asparagi, rapæ, etc, quum talibus insit vis lenis diuretica hic semper utilis.

Ad aquas percommoda medicamina evacuandas, conveniunt diuretica, inter quæ primum locum occupant scillæ maritimæ bulbus atque ejus præparata; quæ duplici ratione in morbis hydropibus conducunt, vi suâ peculiari vel proprio stimulo in systema uropoieticum agere solent, qua non solum hujus systematis actio, nempe urinæ secretio augetur, sed etiam vi suâ resolvente obstructiones inveteratas, quæ sæpissime Ascitis causæ sunt, resolvere possunt: igitur si debito tempore, debitisque cautelis adhibeantur egregii successus exspectari possunt. Verum cum causæ hujus morbi non semper sint eædem et corporis constitutio in variis ægris sit diversa in ejus administrationem omnino est attendendum. Scilla vehementer in tubum intestinalem agit, vomitum aliquando producit, igitur in corporibus irritabilioribus et morbo jam adulto vix ab ægro fertur, vero ut feratur semper a minimis dosibus est incipiendum et admodum lente adscendendum ad majores. Blandior tamen neque huic scopo minus efficax, redditur scilla per additionem aceti, atque mellis, igitur ambo illa præparata nempe acetum et oximel scilliticum quam maxime præscribuntur.

Diuresis porro promovetur variis aliis, nempe infusione sambuci, baccharum juniperi, sabinæ, aliorumque diureticorum mitiorum, quæ parum in usu sunt. Herba digitalis pur-

pureæ etiam in hoc morbo commendatur, in infuso, tinctura et in pulvere. V. G.

R. pulv. fol. digit purpur gr. viij.
Sacchari albi pulveris ℨj.
M. f. pulv. N° vi.
S. quotidie tres ex liquore.

Pro parum sensibilibus dosis etiam augeri potest, sed pro valde nervosis, uti pro aliis erit diminuenda, simulac dolor capitis, vertigo, floccarum ante oculos volantium apparitio, narcoticam hujus remedii actionem manifestare incipiant.

Si autem ex debilitate nascitur, in genere roborantia tonica ut, et stimulantia sola, vel præcedentibus juncta, conveniunt, tali in casu cortex peruvianus, radix valerianæ, æther nitricus, spirituosa ferrique præparata haud nimis adstringentia conducunt, verum cavendum est ne adstringentium usu fortiori vasorum absorbentium actio impediatur; si Ascites ab obstructione alicujus visceris oriatur in genere resolventia indicantur, in quorum selectu tamen ratio habenda est causarum quæ hisce obstructionibus dederint ansam, si recentes sint et præcipue hepar occupent, extracta graminis, taraxici, salia media ut acetas potassæ, sulphas potassæ, etc., præscribuntur. Dum obstructiones pertinaciores sunt, tunc ad efficaciora resolventia transeundum est, ut gummata ferulacea cum salinis saponaceis et scilliticis juncta, etiam laudatur a multis mercurius dulcis in hoc morbo, in obstructionibus inveteratis

optimum resolvens, sed ejus usu diuturno laxitas fibrarum augeretur, qua malum adhuc augeri debet.

Drastica purgantia si alvus pertinaciter clausa sit, etiam aliquando præscribuntur, inter hæc autem jalappa, aloes, gummi gutta jam ab antiquiore tempore usitata fuerunt, etiam cum mercurio et scilla jungi possunt. Sed cum his etiam sollicite est agendum, quia diarrheæ in hoc morbo sunt mutuendæ.

Si post modice continuatum illorum remediorum usum nullum levamen sequatur, sique abdomen intumescens ægro molestias atque anxietates parere incipiat, ad paracenthesim sive abdominis perforationem transeundum est, quæ operatio frequentissime tantum palliativa sed aliquando curativa est, ita ut et post quintam paracenthesim curati nonnulli legantur: non nimis diu interim differatur hujus operationis administratio, si enim differtur donec appareant febricula hectica, extremitatum superiorum arefactio, collapsio virium et similia, jam non solum utilitas ab hâc operatione exspectari nulla potest, verum malum per ipsam redditur deterius.

TANTUM.

THESES.

I.

Ferrum pro usu medico præ aliis metallis præstat.

II.

Motum sanguinis per systema capillare ab actione cordis non pendere consensimus.

III.

Fortiora emmenagoga sunt semper periculosa.

IV.

Inflammatio est exaltatio proprietatum vitalium ab applicatione stimuli præternaturalis nata.

V.

Ubi somnus delirium sedat, bonum. Hipp. art. II. sect ij.

VI.

Maximi momenti est tum in diagnosi tum in prognosi plerumque morborum præsertim acutorum ad faciem et decubitum ægrotantium attendere.

VII.

In morbis exanthematicis febrilibus, ad depositionem exanthematis in cutem promovendum, emetica aliquando egregie conducunt.

VIII.

Causa famis neque in tunicarum ventriculi affrictu, neque in succi gastrici acrimonia, sed in peculiari sensibilitate nervosa quærenda videtur.

Vidi et nihil quod parag. 56 *Legis Acad. adversetur, reperi.*
F. E. VERBEECK.
f. m. h. t. Dec.

GANDAVI, ex typographia Academica, P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE.